

D. D.

EXERCITIUM ACADEMICUM,

De

CULTU DEI
EXTERNO

NATURA DEMONSTRATO:

Quod

*Consentiente Amplissima Facultate Philoso-
phica Regia Academia ad Auram,*

Sub PRÆSIDIO

ISAACI BJÖRNUNDI

LL. Orient. Profess. Ord.

Publico bonorum examini modeste submittee

DANIEL P. MANSNERUS,

Alandus,

Si Deo visum fuerit, Die XVIII. Dec.

Anni M.DCC.XXXI.

Loco horisque Solitis.

A B O Æ,

Excud. Reg. Acad. Typ. Joh. Kiämpe.

Nobilissimo atque Consultissimo Domino

**D^N. CAROLO
LILJESTIERNA,**

Regii Dicasterii Aboënsis Adlesiori
Gravissimo & Æquissimo; ut Patro-
no Optimo, ita submissa veneratione
æternum colendo.

Sinite, Patroni Optimi, ut summam ob-
las hasce leviusculas, immaturi ingenii
cum omnis felicitatis, in Vestrum ipsorum
florem, adprecatione, & humillima mei
Vobis offerre

Nobilissimorum & Amplissi-

Humillimus

Daniel P.

Maxime Reverendus & Celeberrimus Domino

MAG. DANIELI
JUSLENIO,

S. S. Theol. Professori Reg. & Ord.
Consistorii utriusque Adfessori Adcura-
tissimo, Ecclesiæ Cathedralis Fennicæ,
quæ Aboæ est, Antistiti Fidelissimo;
ut Nutritio, studiorumque meorum
Amplificatori magno, ita qua par est
reverentia ætatem prosequendo.

*favorem, in summo gradu prestitum, pagel-
fetum, in gratissime mentis testificationem,
Vestrarumque Familiarum nobilissimarum
mearumque fortunarum commendatione,
liceat: precor,*

morum Nominum Vestrorum

Cliens

Mansnerus.

VIRO,

Plurimum Reverendo atque Doctissimo

D. PAULO MANSNERO,
Ecclesiarum, quæ in Lem- & Lumpar-
land Deo colliguntur, Pastori meri-
tissimo & vigilantissimo; ut Parenti
Optimo, indulgentissimoque, ita o-
mni reverentia, quæ unquam filium
debet, ad cineres usque colendo.

Exercitium hocce qualecunque ob pater-
na beneficia, in se cumulatissime col-
lata, additis juxta precibus calidissimis pro
incolumitate sempiterna, sacrum,
esse vult

Carissimi Parentis

Observantissimus Filius

Dan: P. Mansnerus.

Sir,

THe several opinions, that ever may be had, touching the worship of God, as beeing exercised with the outward behaviours, and also deduced from the inward motion of the nature, are without fail some true tickets of the various manners to honour God, because the experience us teach, that many having such an opinion, doth seldom refuse to order his religion according the judgements and imagination. But nevertbe less, Sir, you doe refuse all their foolish thoughts into your most learned worck of the same matter, shewing us also your own opinion of those things, as beeing a very right and infallible one, and fallowing at all the own pleasure of God manifested in his blessed Gospel. It is therefore, Sir, bearing you have had a minde to publish your judicious writings, I could not leave of to decla-

re my joy and dutiful gratulation
towards you, wishing also of the bot-
tom of my heart all good success to the
continuation of such fine enterprises.
I am

Sir,

Your most affectioned
servant

DAN: JUSLEEN.



Α. ϣθ̄ Ω.

PROOEMIUM.

Quamvis Deus T. O. M.
multis modis adeo se-
le manifestum cognis-
tumque reddiderit hominibus,
ut de existentia illius & provi-
dentia, & qui inde sequitur
cultu religioso, nemini jure
meritoque dubitare, multo mi-
nus eadem negare, fas esse
judicem: nihilo tamen minus
dari homines, qui Deum, pro-
videntiamque divinam admit-
A tere

2
tere nolint, vel alioquin non recte de divinitate sentire deprehendantur, omnium temporum testatur experientia. Quidam enim plures inducunt Deos. Alii rebus quibusdam creatis divinitatem tribuunt. Nonnulli vel *naturam*, ultimam rerum causam: vel Deum, mundi animam: vel mundum æternum, adeoque increatum esse asserunt. Alii rerum omnium ortum per emanationem a prima causa, ceu particularum ejusdem, explicant, & retractionem rerum omnium ad primum ens postulunt. Alii alia somniant: quemadmodum & illi, qui providentiam divinam negant,

Numen absurde repræsentant ad modum idearum puerilium vel ludibundi pictoris: adeo ut & ista positio quoad effectum cum Dei negatione concurrat. Ejusmodi hominum deliria, ab eruditissimis viris jam satis explosa, nostræ nunc non sunt considerationis. Unde ad *cultum Dei* contemplandum propius nos admoveamus: neque tamen illum in omni sua latitudine. Ceterum statum controversiæ formare expedit. Cultus Deo debitus pro diverso colendi modo in *internum & externum* dividitur. Nos illum, utpote qui rationi se evidentius probat, consulto jam præterimus. Hic au-

4
tem à moralium doctoribus dis-
pesci solet in *indirectum*, qui le-
gum divinarum quarumlibet ob-
servantia Deo exhibetur; & *di-
rectum*, qui fit vel omissione cō-
temptus externi, vel *susceptione ac-
tuum honorificorum*, qui præ ce-
teris cultus Dei externus dici so-
let. Sed juvat ulterius hanc speci-
em cultus divini externi distin-
guere in actus honorificos, tum
speciales, qui in certis rebus, lo-
cis, temporibus cultui huic con-
secrandis, ritibusque in eo
observandis occupantur; tum
communes seu generales, qui
absolvuntur precibus, gratia-
rum actione, celebratione
nominis divini, addo &
gestibus venerabundis, im-
mo & jurisjurandi religio-
ne.

ne. Quicumque internum cultum admittunt, non possunt de externo indirecto, neque de illa directi specie, quæ omissione contentus peragitur, dubitare. Verum ultimam illam speciem, quæ actibus fit honorificis externis, non tantum specialibus, sed & generalibus, nonnulli haud ita pridem sic impugnarunt, ut natura demonstrari posse, jussurandum si excipias, negarent: uti sunt Christ. Thomasius in sua J. P. D. L. I. C. V. §. XI. & seqq. Gottlieb G. Titius observ. in Put. O. H. & C. pag. 182. Hinc animus mihi accrevit, divina assistente gratia, tentandi, annon doctrina hæc idoneis vindicari que.

queat rationibus, ut pateat, natura demonstrabilem esse necessitatem cultus divini externi directi, qui susceptione actuum honorificorum, potissimum generalium, perficitur. Ast licet pingvior minerva, iniquioris præsertim temporis circulo nimium arcto inclusa, nobili argumento pro dignitate pertractando par non fuerit: leviculum tamen quod adfero, qua par est observantia oro & obtestor, velis L. B. æquibonique consulere.

§. II.

NEcessitatem cultus hujus externi probaturum, ratio

tiones non omnino fugiunt. Mens enim sana facile perspicit, Creatorem summum ne-
 tiquam voluisse, ut nobilissi-
 mum hominis officium intra
 ambitum alterius tantum par-
 tis, seclusa plane altera, ar-
 ctaretur: nisi quis Stoicorum
 more corpus ergastulum ani-
 mæ, ad essentiam hominis ni-
 hil pertinens, statuat. Quanto
 autem satius colligitur, homi-
 nem ideo non mente tantum,
 sed & corporis præditum esse
 dotibus, ut quemadmodum
 non corpore modo inservit so-
 cietati humanæ, ita neque a-
 nima sola Deum colat? Imper-
 fectum enim officii genus vide-
 bitur, ad quod præstandum
 non

non totus concurrithomo, quum
 totum obligari sciamus, &
 rationi certissime constet, quic-
 quid Deo exhibendum, in suo
 genere eximium requiri. I-
 deoque & præstantissimum do-
 num, sermonem, simul ad
 laudum divinarum celebratio-
 nem convertendum videt, cor-
 pusque universum reliquis ve-
 nerabundorum gestibus coram
 Numine se demittat, necesse
 tanto magis esse, quanto ple-
 niorem Creatori optimo po-
 tentissimo venerationem deberi
 novit. Deum autem id velle,
 ab effectu patet, quum di-
 versissimas has substantias, spi-
 ritum & corpus, admirando
 adeo vinculo in uno supposi-

to coniunxerit, ut mutua esset utriusque harmonia. Hinc qui te condidit, & eximias facultatibus armavit auxitque, eum tanquam auctorem tuum agnoscere & revereri, ipsius opera admirari: tuas demum facultates omnes, cum in corpore, tum in anima, ad ejus gloriam nutumque referre debes: cum Hochstettero facile colligit ratio, cultusque adeo externi, sine quo internus non absolvitur, deprehendit necessitatem, exserendi, quoties occasio tulerit, & res ipsa postulaverit.

§. III.

Quod si penitus naturam nostram excutiamus, nec-

ces-

cessitas hujus rei evidentissime
 apparebit. Eam enim naturæ
 auctor Deus fecit connexio-
 nem cogitationum nostrarum
 cum signis externis, ut illis
 positis, sæpe sit impossibile hæc
 cohibere & suppressere. Nam
 quo fortiores & vividiores mo-
 tus in mente exsurgunt, eo
 validius organa corporis affici-
 unt, atque extrinsecus se exse-
 runt. Quod in affectibus fere
 quibuslibet experimur: qui
 quanto vehementiores & te-
 neriores sunt, tanto difficili-
 us intra sinum animi coërceri
 possunt, quin foras, per os,
 oculos, gestus prorumpant.
 At affectum in venerando Nu-
 mine vividissimum requiri ac
 re-

tenerrimum, ratio ipsa recte
 judicat, qui sua natura mi-
 nime cohiberi potest, ne a-
 ctu externo se prodat. Affe-
 ctus vero in re optima debi-
 to modo prosequenda tantum
 abest, ut coërcendi sint & sup-
 primendi, ut excitandos po-
 tius esse, extra dubium sit. Cum
 itaque tam arcta sit corporis
 & animæ unio, ut mutuis se
 motibus necessario afficiant,
 eoque nexu signa externa
 affectibus potissimum à sapien-
 tissimo Conditore sint adstri-
 cta, ut his commotis, illa, ne-
 cessitate quadam naturæ, se-
 quantur: haud difficulter ratio
 heic advertit vocem ipsius Nu-
 minis, per naturam ita com-
 pa-

paratam, jubentis, cultum
 sui externum cum interno esse
 conjungendum. Quod si alio-
 quin hac via, i. e. attentam
 mentis in sinum nostrum re-
 flexione, & diligentissima na-
 turæ humanæ contemplatione,
 dictamina rectæ rationis feli-
 citer colligimus, præceptaque
 juris naturæ sufficienter adstrui-
 mus: idem hic fieri oportere,
 quis negabit? Sic insignem
 meritis est laudem Cumber-
 landus, qui præclara opera
 adversus Hobbium, ex physi-
 ologia, non animi tantum
 dotibus, sed & corporis me-
 chanismo, partiumque singula-
 rum structura, hominem vitæ
 sociali colendæ natura esse
 de

destinatum, demonstravit. Multo autem expeditius demonstratio in hoc argumento procedit, ubi tanto apparatu non opus est, sed primo statim, intuitu evidentia rei oculis est obvia, unde necessitatem cultus externi ratio adsequatur. Experiatur quilibet secum, quam difficile sit in venerando Numine æstuantem religionem, intra mentem continere. Proponere animo tuo, hominem in extrema constitutum necessitate, præsentissimo miseriæ suæ & periculi ineluctabilis sensu ad openi cœlestem implorandam adactum: quæso te, num precantis hujus fervor in adyto mentis ita comprimi poterit,

ne

ne in actus externos erumpat? Annon quibusvis signis se exsurret, pectus suspiriis concutiet, in oculis udis narabit, in linguam exundabit, oreque pleno sonabit, corpus deniq; reliquum gestibus exquisitissimis, quibus alioquin vel profundissimam testamur venerationem, vel miserationem aliorum supplices elicimus, agitabit? Rursus contemplare eundem admiranda ratione presentissimo ereptum periculo, aut ingenti ceteroqui bono supra vota mactatum, unde animus lætitia perfusus, ac bonitatis divinæ admiratione tactus commotusque, ad eandem gratiarum actione extollendam impellitur: certe fieri nequit,

ut affectus hic intra cerebrum subsistat, sed voce gestibusq; se prodat, necesse est, idq; non coram Numine tantum, sed & inter homines magnitudinem stupendi benefici celebrando. Quæ exempli loco adducta, valide hanc veritatem rationi probant, cultum Dei internum actibus externis necessario esse declarandum.

§. IV.

Accidit quoque non raro, immo quam sæpissime, ut homo omni quidem nisu sibi proponat, Deum cultu prosequi decenti; sed quum aut aliorum hominum sceleratorum interventu, aut aliis occasionibus abreptus, actus exter-

ternos exercere nequit, cultum
internum etiam sæpenumero
debilitari, vel aliquando prorsus
extingui, experientia satis su-
perque comprobatur. Unde ar-
gumentari licet; si cultus di-
vinus internus langvescit &
tandem emoritur, actuum ex-
ternorum defectu & neglectu;
sequitur, ut horum præsen-
tia & exercitio ille suscitetur,
alatur & vigeat. Nam op-
posita oppositorum est ratio.
Et reapse exercitia actuum ex-
ternorum valde facere ad tor-
pescentem in homine cultum
internum excitandum atq; sus-
tentandum, nec non efficere,
ut liberius affectus & gemitus
nostros in sinum Dei effunda-
mus

mus, quilibet, qui serio hoc agit, experitur. Hinc itaque rationi perspicue constat, exercitium religionis externum saltem ut adminiculum & fomentum venerationis internæ, non utile modo, sed plane necessarium, quippe cujus absentiam demum hujus interioris sequitur, natura requiri.

§. V.

Necessitas porro ex fine & effectu patet. Quemadmodum religio generatim firmissimum est vinculum socialitatis, & fundamentum omnis obligationis: ita veneratio Numinis externa tantum

eo confert, ut sine ea finis iste obtineri non posse videatur. Nam eo ipso, quo Deum ceu optimum & potentissimum palam precamur, velit nobis necessaria ad vitam bene exigendam suppeditare, eique gratias agimus, pro bonis concessis & malis averfis, ut & Numen ejus sanctissimum & incomparabile gestibus religiosis veneramur: sic demum aliis hoc intuentibus de nostra erga Deum reverentia constabit. Unde non potest non aliorum in nos amor & fiducia excitari & augeri, ut complectantur nos, ceu cives societati humanæ & tranquillitati publicæ idoneos

ac utiles, quorum fide & integritate tutius niti queant. Præterea nostro tam præclaro exemplo igniculi naturæ apud multos suscitantur, ut ad summum Numen venerandum pertrahantur, & sensim ejus cultui advesfiant, quo ipso & ad felicitatem societatis augendam rite parantur. Contra ubi actus hos religionis externos omittimus, si vel maxime id sine nostro ipsorum detrimento fieri queat; officio tamen nostro haudquaquam satisfactum esse, ratio ipsa arguet: sed nos ad finem eum, qui eorum exercitia sequitur, publicum societatis emolumentum, pro virili sectandum ob-

ligari, dictabit. Hinc Pufend.
occultare, inquit, aliquid, est,
quasi quis eo exercendo erube-
sceret: contra, publicus cultus,
non solum de nostra devotione
testatur, sed & alios exemplo
incitat. Quod etiam rationi-
bus satis antiquis atque adeo
veris evincit Clericus ad Exod.
V: 3. egere scilicet populum ex-
terna aliqua celebritate, ut of-
ficii sui commonefiat, memor-
que sit Dei, res humanas cu-
rantis: egere communibus &
publicis sacris, ut arctius iis,
qui in civitatem unam coie-
runt, conjunctum se intelli-
gat: alioquin, ut est ingeni-
um humanum, plebs, & Dei
& officiorum omnium oblita,

una cum religione, etiam societatis humanæ jura temere violaret, unde innumera hominibus in vita orirentur mala. Quantum quippe exercitium pietatis, nemine incitante, inter homines deficere queat, quis ignorat? Ubi autem exempla religiosa deficiunt, ibi quoque fidem & amorem mutuum simul decrescere necessum est, & diffidentia, suspicionibus ac turbis locum fieri. Ubi vero palam floret in Deum pietas, vinculum adest, quo homines arctius conjungantur, & societas tutius feliciusque colatur. Unde & heic, pro mensura hujus status, valet illud in Ev-
 an-

angelio : *Luceat lux vestra
coram hominibus, ut videant
bona vestra opera, & celebrent
Patrem cœlestem.*

§. VI.

Quo etiam accedit jusju-
randum : de cujus ne-
cessitate in vita sociali ne illi
quidem ipsi, qui thesin no-
stram impugnant, dubitare
possunt, quum veritas, aut
promissorum fides, ob pravi-
tatem humanam, vix alias
obtineri queat. Actum autem
hunc, nihil aliud esse, nisi
partem quandam cultus reli-
giosi, & ipsos credo admit-
tere, quandoquidem Thoma-
sio

fio definiente, *jusjurandum*
 est deliberata Numinis divini
 tanquam testis & vindicis in-
 vocatio, in assertionis aut pro-
 missionis confirmationem. Dum
 enim jurans sese metu Dei o-
 mnipotentis, omniscii & ju-
 stissimi astringit, ejusque vin-
 dictam, si sciens fallat, in se
 invocat, eodem actu reddit
 ei gloriam omniscientiae, veri-
 tatis, omnipotentiae & justi-
 tiae, eamque solemni quasi
 confessione celebrat. Quo spe-
 ctant verba Augustini: *Jurare,*
est jus reddere Deo, nimirum
 jus gloriae & cultus debiti, at-
 que agnoscere eum esse justum,
 veracem, omniscium & omni-
 potentem. At celebratio haec
 quum

quum palam opere externo fiat, speciem cultus externi esse oportet: unde ea saltem parte religionis externæ necessitatem rationi patere concedant, necesse est.

§. VII.

Quid quod non minimū facit pro thesi nostra confirmanda, consideratio omnium populorum, eorum cum primis, qui ab ecclesiæ sanctæ communionem sunt alieni? Quippe de quibus historiæ omnium temporum perhibent, ne unam quidem inter eos esse datam rempublicam, ubi cultus externus non viguerit
 florue

florueritque, etiamſi variatus
 reſpectu diverſorum objecto-
 rum, temporum & locorum
 &c. Hinc anſa nobis ſubmi-
 niſtratur indubitate concluden-
 di, natura id duce eos egis-
 ſe; niſi enim cauſa ad hoc
 opus impellens eſſet inſtinctus
 naturæ, certe alicubi ceſſaſ-
 ſet. Perſpexere namque & il-
 li, immentiam Numinis bo-
 nitatem & majeſtatem requi-
 rere, ut omnes nervi, tum
 interni, tum externi, ad ce-
 lebrandam ejus laudem con-
 tendantur; ut jam inter nos
 aliter ſtatuentes, minus pro
 dignitate de Deo ſentire vide-
 antur. Si enim liberi, paren-
 tum beneficiis nunquam ſatis-
 face-

facere queunt: sequitur, ut nec gratiam Deo debitam, multo minus superfluum referre possimus. Unde Cassius: *Si pro benignitate Diis grates agerentur, ne totus quidem annus supplicationibus sufficeret.*

§. VIII.

DE aliis autem actibus, ut devouendis Deo certis rebus, locis, temporibusque &c. fatendum, rem non æque plane procedere. Horum enim actuum, qui ad specialem Dei cultum externum referri solent, tanta est varietas, variis in civitatibus, ut potius impositionis humanæ, quam

quam legis esse naturalis videri queant. Non tamen negamus ceremonias heic requiri: siquidem nullus actus externus decenti ordine, iis sublatis, fieri potest. Sed de eo jam quæritur, num rationi sibi relicte indubitata necessitas rituum sacrorum sit perspicua, unde probari queat, Deum velle iis coli: quum isti potius tanquam subsidia, ad ordinem, decorum, commodum & utilitatem facientia, religioni externe accessisse videantur. Verum ut de singulis distincte agamus, neque temporis ratio permittit, neque ea res directe ad argumentum nostrum pertinet.

ABsolutis itaque per divi-
nam gratiam iis, quæ
destinata brevitatem, pro mo-
dulo ingenii ad necessitatem
cultus divini externi ex ratio-
ne adstruendam, huc qua-
drare existimavimus: consul-
tum quoque duximus, præ-
cipua adversæ partis argumenta
nonnihil attingere. Objicit vir
Illustrius Thomafius: 1. *Deus*
cultu exteriori non habet opus.
Resp. At neque Deo opus est
cultu nostro interno, quem
tamen ideo nolle, neque Tho-
masius probabit. Immo neque
mundo hoc, ne nobis qui-
dem ipsis indiguit Deus, quos
ni-

nihilominus creare voluit. 2. *Deus cordium scrutator sine precibus ore prolatis novit indigentiam nostram.* Resp. Verum idem & sine interno suspirio novit, quarum rerum egeamus. 3. *Si laudes divinae ab homine, reverentia Dei carente proferantur, recta ratio dicitur, peccare graviter hominem, Deum per signa exteriora decipere intendentem.* Resp. Peccare quidem dicitur, sed illud facere non suadet, verum signa externa internae reverentiae adungere jubet. 4. *Hominis socialitas, seu vita tranquilla, directe non laeditur per omissionem harum actionum externarum.* Resp. Ast quamdiu

diu civibus ejusdem reipubli-
 cæ de religione cujusque, seu
 reverentia Numinis, invicem
 non cõstat, non possunt non per-
 petua diffidentia se mutuo ca-
 vere, & suspicionibus offen-
 dere: unde diffidia & turbæ
 inevitabiles oriuntur. Et quam-
 quam non directe, necessita-
 te tamen consequentiæ, hunc
 effectum producit: quemad-
 modum impunitas delictorum
 idem efficit. §. Si beatitudo
*rerumpublicarum genuinus cule-
 tus divini finis foret, ex re-
 gula philosophorum recepta, fi-
 nem esse normam mediorem,
 dicendum esset, cultum hunc
 pro varietate rerumpublicarum
 ¶ ipsum variare, ¶ ita uti-
 lita-*

litatem singularum rerumpubli-
carum cultus divini normam es-
se debere: quod statuere impio-
rum est. Resp. Neque nos ex-
ternam hanc salutem finem,
religionis primarium, verum
tamen, esse statuimus: neque
hinc sequitur, cultum divinum
pro varietate rerumpublicarum
variare debere, quum neque
finis rerumpublicarum com-
munis variet. Sufficit enim,
rationi, si quemadmodum o-
mnes respublicæ generatim e-
undem intendunt finem, sa-
lutem publicam; ita religio
ubique in essentialibus sit ead-
em. 6. Si ad finem cultus reli-
giosi verum, beatitudinem eter-
nam, ratio sibi relicta non pe-
netrat, quomodo posset ad cul-
tus

tus divini tanquam mediæ cognitionem penetrare? Resp. Sed non advertit vir illustris, eodem argumento cultum internum magis destrui, quippe cujus potissime finis est salus æterna, quem tamen ipse ex primis principiis practicis rationi obvium esse demonstravit. Præterea neque medius argumenti hujus terminus per omnia nobis probatur. Verum festinatio calamum manu excutit. Nos semper memores, Creatorem O. M. toto corde, omni animo, universis viribus amandum & colendum esse, & jam coronidis loco gloriosissimum ejus nomen venerabundi celebramus.

